

I.

Litterae SSmi. Dmi. N. Leonis PP. XIII. ad p. t. Emin. Dom. Cardinalem
Dusmet die IX. Dec. 1892 datae, ut convocet Romam omnes p. t.
Praesides, Abbates et Delegatos O. S. B. ad festivitatem ponendi
lapidem primum Collegii S. Anselmi etc.

Leo PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quae Nobis cura sit ut meritissimus Ordo S. Benedicti maiora in dies habeat decoris incrementa et uberiores efferre valeat fructus ad gloriam Dei et animarum salutem, satis Tibi compertum est atque exploratum. Ob eam rem consilium vehementer probavimus novi extruendi in Urbe aedificii, in quo Collegium S. Anselmi suas habeat sedes, ac splendorem viresque ampliores nactum benefacta sua ad totum Ordinem valeat proferre. Quum autem area parata sit, ubi haec aedes erit excitanda, cuius primus lapis deponendus erit quum primum commode id fieri possit, optimum factu videtur, si benedictionis eius celebretur solemnitas coram Praesidibus cunctis singularum Congregationum Ordinis eorumve delegatis, imo coram omnibus (quoad eius fieri poterit) qui Abbatis nomine et honore decorantur. Porro haec congressio optimam poterit opportunitatem praebere, ut collatis consiliis agatur ac deliberatio fiat de iis rebus, quae ad communes pertinent totius Ordinis rationes et utilitates. Pergratum itaque Nobis facies, si pro ea qua praestas dignitate Praesidis istius Collegii, eos quos diximus praesules Congregationum et Abbates monueris atque invitaveris, ut Romae praesto esse velint, quum praedicta fiet solemnitas, quo magis auspicata et illustra sint ex omnium praesentia eius rei exordia, cuius effectio pertinet ad Ordinis universi emolumentum et decus. Certa interea fiducia freti, Te studiose ac libenter, prout in omnibus assoles, Nobis morem gesturum, Apostolicam benedictionem Tibi, Clero ad fidelibus tuae vigilantiae concreditae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die IX. Decembris anno
MDCCCXCII, pontificatus Nostri decimo quinto.

Leo PP. XIII.